tertiò comp.S P,compl.S P B,& P B:aut quartò compl. S P B, P B,& B S: aut quintò sunt P B,B S, & complem. B S P.

Verum quia in omnibus his triplicitatibus, Tangens alterius extremæ est ad sinum rectum intermediæ,ut sinus totus ad tangentem reliquæ extremæ (pro ut ex vulgaribus demonstrationibus Trigonometriæ patet.)Ideò(per nostras demonstrationes prop.5 cap.2.lib.1.)Logarithmi mediarũ(qui sunt Logarithmus solius intermediæ per corol.6.def.cap.1.lib.1.)æquantur logarithmis tangentium utriusque extremæ. Sed Logarithmi tangentium harum extremarum sunt differentiales earundem (ex sect. 22. & 25. cap. 3. lib.1.) Logarithmus igitur solius intermediæ æquatur differentialibus circumpositarum extremarum, ut priore parte Theorematis asseruimus. Sequitur posterioris partis confirmatio.

Earundem ergo quinque partium circularium, tres illæ quæ in quæstionem extrematum intermediæ oppositarum cadunt,sunt aut primò P B,comp.B S P,& compl.S P B:aut secundò B S,comp.S P,& P B: aut tertiò compl. B S P,comp.S P B,& B S:aut quartò cõp.S P,P B,& cõp. B S P:aut quintò denique comp.S P B,B S,& comp.S P.

Sed in omnibus his triplicitatibus seu quinque casibus, sinus rectus complementi alterius extremæ se habet ad sinum rectum intermediæ, ut sinus totus ad sinum rectum complementi reliquæ extremæ(quod fusius à Regiomontano,Copernico,Lansbergio,Pitisco, & aliis demõstratur, quàm ut brevi hac epitome repetendum sit.)Ideò per nostras demonstrationes (prop.5, cap.2. lib.1.) Logarithmi complementorum harum extremarũ æquantur Logarithmis mediarum,id est, (ut dictũ est)Logarithmo solius intermediæ.At Logarithmi complementorum harum extremarum oppositarum sunt earundem ipsarũ partium antilogarithmi(ex def.sect.13.& 16.cap.3.lib.1.)sequitur ergo in his casibus,quod logarithmus solius intermediæ æquetur antilogarithmis suarum extremarum oppositarum, ut asserit posterior theorematis pars. Totum itaque theorema con-

ma constat. Præter hanc probationem per inductionem omnium casuum,qui occurrere possunt,potest idem theorema lucidè perspici ex 19ª. & 20ª. præcedẽtibus, in quorum schemate,homologa circularium partium cõstitutio earundem analogiæ similitudinem arguit: ita ut quod de una intermedia & suis extremis circumpositis, aut oppositis verè enuntiatur. de cæteris quatuor intermediis & suis extremis respectivè cirmcumpositis, aut oppositis negari non possit.

Porisma generale.

9. *Hinc sequitur in quadrantalibus simplicibus, quod ex duabus partibus quibuscunque datis tertia quævis innotescet. Semper enim aut intermedia quæritur, & ejus logarithmus habetur addẽdo differentiales circumpositarum extremarum datarum: aut altera extremarũ quæritur, & ejus differentialis emergit ex substractione differentialis reliquæ extremæ datæ à Logarithmo intermediæ notæ:ut in quinque prioribus triplicitatibus rectanguli præcedentis theorematis,& totidem non rectanguli: aut intermedia quæritur, & ejus Logarithmus provenit addendo antilogarithmos oppositarum extremarum datarum: aut denique altera extremarum oppositarum quæritur:& ejus antilogarithmus ex subductione antilogarithmi reliquæ extremæ oppositæ datæ ex Logarithmo intermediæ notæ habetur. Ut in quinque posterioribus casibus rectanguli præcedentis theorematis, & totidem non rectanguli. Horum autem Logarithmorum,antilogarithmorum, & differentialium jam inventorũ cuilibet respondent duo arcus diversarum specierum. Ex specie igitur quæsiti arcus per secundam,tertiam,quartam hujus,aut per hypothesim nota,ipse arcus verus innotescet.*

Vt in priore exemplo septimæ, Tres quæstionis partes circulares sunt, plaga solis, elevatio poli,& differentia ascensionalis,id est,In rectangulo B P S, partes B S, P B, & complem.S P B;vel in non rectangulo quadrantali P Z S, partes P Z S, compl. P Z,& compl. S P Z: quarum trium dentur extremæ circumpositæ,scilicet plaga solis orientis B S, vel P Z S,70 gr: & differentia ascensionalis compl. S P B, vel compl. S P Z, 16 gr. 24. 27″; & quæratur inter-